



76
= VII. 1. 375

**SUPREMUM OFFICIUM,
CELEBERRIMO VIRO,
ÆTATE, DOCTRINA, MERITISQUE
GRAVISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO
RÖHRENSEE,
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ IN
HAC ACADEMIA PROFESSORI PUBLICO,
ET ALUMNORUM ELECTORALIUM
EPHORO,
PATRONO, HOSPITI, COLLEGÆ,
ET AMICO,
DUM VIXIT, CONJUNCTISSIMO,
IPSO EXEQUIARUM DIE,
XVII. KALEND. JUN.
A. R. S. cl. Is CCVI.
PERSOLVERE VOLUIT
GOTTLIEB VVERNSDORFIUS,
S. S. THEOL. D. ET PROF. P. ORDINAR.
ET ALUMN. ELECT. EPHORUS.**

VITEMBERGAE,
PRELO CHRISTIANI GERDESII.




Tinam fecisset Deus immortalis, ut Divo ROEREN-
SEO, Viro de literis, & de meipso, supra, quam dici
potest, merito, recuperatam potius valetudinem, &
conservatam familiam ex isto tanto, in quo nunc
versatur, discriminé, gratulati, aut aliam quam cun-
que operam, gratiam jucundamque, navare, quam Vale ultimum dice-
re, supremumque officium perfolvere liceret. Nec enim adeo sum
imperitus rerum, quin assequar, quantum hujus morte jacturam hinc
familia, insperato luctu attonita, & oppressa: hinc universa respu-
blica literaria fecerit, quarum illa præsidium, ac Parentem, hæc decus
& Ornamentum amisit. Magna profecto calamitas est, quæ denio
hanc in Academiam ingruit, multoque adactum altius est vulnus,
quam ut curari facile, ac persanari ita posse, ut nihil infirmitatis, aut
languoris in reliquo corpore sit super. Pollebat enim ROEREN-
SEIUS diffusa quadam, & solida divinarum, humanarumque rerum
notitia, quam sermone non minus facilis ac perspicuo, quam eleganti
ac terso iis propinare norat, qui se ipsi in disciplinam dederant, ac
scholam. Adstrictior ille quidem in dicendo erat, & ad nullam rem
minus, quam verba inania, factus. At tanto profundior, & accurati-
or idem, qui ubi collegerat vires, & animi doctrinæque thesauros re-
cluserat, paucitatem verborum sententiarum momento, ac pondere
pensabat. Nihil in eo, seu disputaret, seu scriberet, otiosum, atque
superfluum. Omnia erant gravia, selecta, rebusque explicandis idonea,
ut verba non tam sponte subnata, quam studio quæsita esse vide-
rentur. Quas quidem Ego laudes hoc confidentius ei tribuo, quo pe-
nitius, quid in recessu haberet, longa conservatudine didici, cuius et-
iam scholis nunquam olim interfui juvenis, quin vel doctior redirem,
vel melior. Sunt, qui eo usque profanis literis delectantur, ut despici-
ant sacras, easque velut indignas cognitione sua judicent, ac tantum
decessorum esse eruditioni suæ credant, quantum temporis studiisque
sacris publicis tribuerint. Alia Divo mens erat, qui Deum religiosissime
coluit, hujusque Scripturas in pretio semper habuit, & sacris pu-
blicis, affecta etiam valetudine, frequens interfuit, domi autem suæ,
indicto familiæ conventu, cotidie & carmina Deo cecinit, & publicam
privatumque salutem piis precibus commendavit. Sæpe illum me-
mini de infelicitate temporum conquerentem omnem fundi nostri
calamitatem a contemptu religionis, ac Numinis derivare, cum *omnia*
prospere eveniant Deum colentibus: adversa, spernentibus. Ita-
que si quem forte inter suos videbat sacra negligere, hunc monebat,
ut innocentius viveret, nec illam temere Majestatem offenderet, quam
nemo

nemo unquam mortalium læserit impine. Hinc summa in Divo
sanctitas, & quidam, quasi indomitus, recti, justique amor, cum,
velut Socrates aliquis, aut Cato, exemplo non minus, quam præ-
ceptis juventuti pæreter, & quas dederat bene vivendi regulas, vi-
ta, moribusque exprimeret, multis mirantibus, qui fiat, quod sub
morum Doctore optimo nonnulli pesime vivant. Admirabili cum-
primis artificio insinuare se poterat in animos hominum, eosque sibi
adjungere, ita ut non temere a foro, vel convivio domum rediret,
quin, cum Epaminonda, ad veteres amicos novum adjeccisset. Si quis
opem ab eo & consilium peteret, eum & excipiebat humaniter, & ne
tristem a se dimitteret, studebat. Nunc recreabat anxium, nunc so-
labatur tristem, nunc confirmabat dubium. Omnia circumspicie-
bat, tentabatque, adversus calamitatem, remedia. Ubi vero nec auxi-
lii locum, nec consili copiam habebat, tum vero ad praesidium Nu-
minis, & dextram, quæ vel momento corrigere posit omnia, & mu-
tare, sollicitos remittebat. Nec intra verba substtit illa humanitas,
sed promissis respondebant facta, consiliis studia. Nulli fides ejus,
nulli opera, nulli res familiaris defuit, cuius etiam cum incommmodo
Eum aliquando aliorum inopiam levasse memini. Eos cumprimis, qui
sumptibus, & beneficio Principis, hac in Academia, aluntur, tam arcte
complexus est, ut nomine quidem Ephorus esset, revera Pater. Ex-
plorabat ingenia sedulo, & ad quod quis aptus idoneusque foret, quid
natura, industriaque valeret: quantum literis ac reipublicæ promitte-
ret, exactissime norat. Quod si quem videret excitare seipsum, &
egregium quid ac praestans minari, hunc fovebat imprimis, & sua quasi
manu ducebat, &, ut pergeret, incitabat, fortiterque agentem honestis
rationibus evehebat, &, ubi consiliis eventus responderat, non tam sibi,
quam reipublicæ gratulabatur. Hanc enim eadem, qua suam, cura-
bat fide, prope dixerim, majore. Itaque si vel mores in Academia
corrumpi: vel oriri disidia: vel nimium e republica peti: vel de juri-
bus & privilegiis detrahi, aut aliud quoddam malum ingrauescere vi-
deret, tum vero consulebat in medium, queaque avertendis, aut corri-
gendifis iis idonea judicaret, promebat. Neque vero solum de praesen-
tibus verisime judicabat, sed & quid, ex quoque, secuturum esset, sua
pro sagacitate, longe prospiciebat, & ubi res publica detrimentum ca-
ptura videbatur, in tempore circumspiciebat remedia. Nihil autem
in eo temerarium, aut præceps: nihil in animo turbidum aut incita-
tum nimis fuit. Placida erant, & moderata omnia, ut multis timidior
justo, quam vehementior sit visus. Namque & ubi de republica age-
batur, minime omnium festinabat sententiam, sed continebat se, &
quasque colligebat vires, & ubi satis deliberata videbatur, tum de-

mum



mum ita dicebat , ut vel optimam afferret , vel allatam probaret . De-
nique ut Athenæ olim Pomponium , sic Academia Nostra ROEREN-
SEUM , in omni procuratione reipublicæ vel *auctorem* habuit , vel *actorem* .
Ast ubi nunc ille meritorum tuorum , DIVE , cumulus ? ubi virtutis tuæ
excellentia est ? Abstulit una dies , & funere acerbissimo mersit . Infeli-
cem vero rempublicam , quæ anno dimidio nondum expleto HANNE-
KENIUM , STRAUSSIUM , ROERENSEUM , at quantos
Viros ! perdidit . O me cumprimit miserum , qui in Te uno , DIVE , Pa-
tronum , Hospitem , Collegam , Amicum conjunctissimum amisi ! Tuum in
sinum effundere mihi licuit , quicquid hoc improbo seculo momordit ani-
mum , & male habuit . Cum inops confilii essem , cum in angustiis hærerem ,
cum , quo me verterem , nescirem , tuam ad virtutem confugi . Heu ! quo-
ties tuum deinceps consilium requiram ? quoties desiderabo solertiam ?
Hac ego quondam , ceu firmo quodam prædictio , munitus fui . Nunc ubi
eodem spoliatum me esse intelligo , non aliter mecum agitur , quam si Ajaci
in bello eripiatur clypeus . Infelicem me vero , cui eodem tempore &
Collega datus , & morte subtractus es . Quocum curas deinceps dividam ?
Quocum labores partiar , Te amiso ? Sed quid Ego querelas cico , aut la-
mentationibus meis tuam istam felicitatem interstrepo , qua nunc , DIVE ,
frueris in ecclis , cujusque velut sponsor quidam , & prodromus fuit , placi-
disimus , qui Tibi obtigit , ex hac vita discessus . Ea enim animi , sermonis-
que constantia diem obiisti tuum , ut non e vita , sed e domo in domum mi-
grare videreris . Deus , cuius Te unius gratia sustentasti , Te nunc velut et ter-
rarum æstu ac fluctibus in portum , aut tanquam ex flebili hospitio in pater-
nam , plenamque hilaritatis domum , cœlum ipsum , beatorumque concilium
evocavit . Mortuus es majore aliorum damno , quam Tuo . Jam supera-
tis vietiisque seculi hujus miseriæ , calamitatibus , turbis , quibus superstites
etiamnum hæremus impliciti , in Numinis sanctissimi gremio conquiescis ,
& ea coram intueris ac inspicis , quæ olim eminus , & quasi per speculum ,
es contemplatus . Jam tua in Servatorem collocata fiducia , & vita sa-
pienter actæ præmia : jam bonitatis ac beneficentia tuæ , cuius utriusque
laude vivus floristi , fructum uberrimum ac felicissimum percipis . Bien-
nio abhinc , cum celebrares natalem tuum , inter congratulationes Amico-
rum & vota , subito ad me conversus , ut , nisi quid interveniat , ipse , cui ex
longa confvetudine omnium optime sis notus , Te laudem pro funere , o-
rasti . Has ego t . t . deprecatus sum partes , nescius , uter utri superstes fo-
ret . Nunc Tibi , Dive , tuisque desideriis quodammodo satisfeci , leviore
quidem , quam merebaris , scripturæ genere , sed magnitudini doloris ,
quem ex obitu tuo cepi , & cui propemodum succubui , condonando .
Reflat , ut quod unum pro tot beneficiis , que in me contulisti , possum ,
gratias Tibi , DIVE , agam , & ultimum Vale dicam . Fruere quiete illa , &
gaudio , quod tuus Tibi Servator sangvine suo acquisivit , ac peperit .
Tua interim vivet , vigebitque memoria , quoad erit in pretio Vir bonus ;
quoad literis sua constabit dignitas , & licet affecuturos nos esse magnitudi-
nem virtutis Tuæ , recte ac merito desperemus , id tamen operam dabimus ,
ut nos ad innocentia , ac bonitatis Tuæ exemplum , quam fieri
potest , exactissime componamus .



Ung VI 3

10 18
13 17

76
= VI. 1
375

SUPREMUM OFFICIUM, CELEBERRIMO VIRO, ETATE DOCTRINA, MERITISQUE GRAVISSIMO

OMINO ISTIANO IRENSEE,

PHIÆ PRACTICÆ IN
MIA PROFESSORI PUBLICO.
FORUM ELECTORALIUM

PHORO,

, HOSPITI, COLLEGÆ,
ET AMICO,

XIT, CONJUNCTISSIMO,

PSO EXEQUIARUM DIE,

VII. KALEND. JUN.

A. R. S. clo 15 CC VI.

PERSOLVERE VOLUIT

B VVERNSDORFIUS,
OL. D. ET PROF. P. ORDINAR.

ALUMN. ELECT. EPHORUS.

VITEMBERGAE,
PRELO CHRISTIANI GERDESII.

